



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

FRANCISCI|| XAVERII EPISTOLA-||RVM LIBRI|| QVATVOR||

Francisco <de Javier>

Mogvntiæ, 1600

VD16 J 197

Societati Goam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43721

*Neophyti
benigne
tractandi.*

possunt, interpretum munere fungantur. Equidem vnde maiores animorum fructus percipi queant, quam ex Iaponia, ac Sinis, orbis terræ partem esse arbitror nullam. Venient istuc in Collegium hoc anno Bonzij Iapones duo, qui omisso illo sacrilego sacerdotio, ad Christi fidem sese cōtulerunt. Curate, vt eos comiter benigneque tractetis, item vt ego, cum apud vos essem, Paulum Iaponem à S. Fide tractabam. Etenim Iaponū ingenia eiusmodi sunt, vt nulla re flectantur, ac regantur alia, nisi humanitate, ac beneuolentia. Tres illos quos poposci, Socios ad me mittetis. Epistolam autem de interioribus animi sensibus, quam in eundem fasciculum conieci, circum alias Sociorum sedes, quæ in India sunt, mitti ac recitari placet. Christus Dominus noster pro sua bonitate, ac misericordia nos omnes in sua felicitate coniungat. Amen. Datæ III. Non. Nouemb. M. D. XLIX. Cangoximæ.

Societati Goam. Epist. VII.

SVPERIORE anno, fratres carissimi, de nostro itinere, aduentuque in Iaponiam, rebusque è re Christiana gestis ad vos scripsi Cangoxima; nunc quid ex eo tempore Deus per nos gefferit, exponam. Ad Pauli nostri patriam cum peruenissemus, ab eius cognatis, ac necessariis accepti sumus perhumaniter,

ter. Hi Pauli sermonibus adducti Christo se
aggregarunt omnes. Itaque vt nostræ reli-
gionis veritatem perspicerēt, annum totum
ibidem, eoque amplius commorati sumus.
quo temporis spatio ad Christi ouile com-
pulsī amplius centum. Ac reliqui idem face-
re si vellent, sine vlla fere parentum, ac pro-
pinquorum offensione potuissent. Verum
Bonzij Regulum (is est multorum oppido-
rum Dominus sane potens) commonefece-
runt, eique denuntiarunt, si suos populares
Christi religionem suscipere pateretur, di-
tionem eius vniuersam interituram. Patrios
Deos (Pagodes vocant) in contemptum in-
digenarum esse venturos. Legem quippe di-
uinam Iaponicis legibus esse contrariam.
Quocirca futurum vt, qui eam amplecterē-
tur, sacrosanctos auitarum legum latores
repudiarent. Id vero sine magna oppidi, ac
ditionis pernicie fieri non posse. Quare re-
spiceret sanctissimos illos Iaponicarum legū
autores: & quoniam diuinam legem auitæ
aduersariam, atque inimicam esse sentiret,
ediceret morte proposita, ne quis in poste-
rum fieret Christianus. Hac oratione com-
motus Regulus, vti Bonzij postularant, edi-
xit. Hoc interim spatium nos in Neophytis e-
rudiēdis, Iaponica lingua discenda, Christia-
næq; fidei capitibus Iaponice vertendis o-
peram posuimus. Ac de mundi procreatione
O 2 breui-

breuiter attingebamus ea, quæ hisce hominibus opportuna videbantur: veluti Deum huius vniuersitatis opificem, ac procreatorem esse, quod illi funditus ignorabant: itæque cætera ad salutem necessaria, præcipue vero Deum humanam induisse naturam. Quamobrem omnia, quæ in Christi vita elucent mysteria, vsq; ad eius in cælum ascensum, nouissimique iudicij rationem, tradebamus diligenter. Eum iam librum Iaponice magno labore conuersum nostratibus litteris mandauimus. Hinc deinceps illa, quæ dixi, ad Christi fidem accedentibus recitamus, vt Neophyti rationem teneant Dei, ac IESV Christi pie ac salutariter colendi. Ea nos secunda concione cum exponeremus, magnam ex iis Christiani cœperunt animis voluptatem: quippe qui ea, quæ à nobis dicerentur, plane vera esse intelligerent: Omnino Iaponû ingenia eximia sunt, & mire obedientia rationi. Diuinam legem veram, aut ipsorum falsam esse plane vident; sed à Christiana religione suscipiēda Reguli metu deterrentur. Vertente anno, cum oppidi Dominum nostræ religionis amplificationi omnino aduersari videremus, constituimus aliò demigrare. Itaque Neophytos valere iussimus, qui pro suo erga nos amore singulari, flentes, maximasque nobis agentes gratias, quod tanto labore nostro, æternæ salutis iter

tis iter eis commonstrassemus; ægre admodum nostrum discessum tulerunt. Reliquimus apud eos Paulum eorum ciuem, eundemque Christianum egregium, qui Neophytos Christianis præceptis expoliret. Inde nos in aliud oppidum profectos Dynasta perhumaniter accepit. Vbi dies aliquot cõmorati Christo adiunximus fere centum. Nemo tamen nostrum Iaponice sciebat; nihilo secius semiaponico illo volumine recitando, & sermonibus ad populum habendis, eorum complures ad Christi cultum traducebamus.

Cosmo Turriano his Neophytis præsidere iusso; ego cum Ioanne Ferdinando Amangucium, Regis (vt captus est Iaponiorum) sane opulenti sedem contendimus. Ea vrbs familiarum amplius decem millibus continetur. Tota domibus ligneis constat. Hic plurimos offendimus tum è plebe, tum è nobilitate Christianæ legis cognoscendæ percupidos. Itaque cum optimum factu statuissimus in compitis, ac triuis bis in die concionari, nostri illius libri capita pronuntiantes de Christi religione ad populû verba faciebamus. Dynastæ etiam nonnulli domum suam nos inuitabant, vt commodius de nostra religione cognoscerent; atq; vltro pollicebantur, eam se sua meliorem si censuissent, sine vlla dubitatione suscepturos.

Ac multi nostros sermones de lege diuina sane libéter audiebát; alij cōtra iniquis ferebant animis: vltro etiam quæ dicebantur irridebát. Ergo quoties per vrbis vias ibamus, toties nos magna puerorum atque infimæ fecis multitudo irridens, atq; illudens eiusmodi vocibus prosequabatur. En qui diuinam nos legem, vt salui simus, suscipere iubent, propterea quod ab interitu vindicari nisi per omnium rerum effectorem, eiusque filium non possimus. En qui plus vna vxore habere nefas esse prædicant. Consimili modo reliqua nostræ religionis capita inculcabant per ludum ac iocum. Dies iam aliquot posueramus in hoc concionatorio munere, cum Regis, qui tum in vrbe erat, accersitu ad eum venimus. Percontanti vnde tandem essemus, cur in Iaponiam venissemus; respondimus, nos Europæos esse cõmissos diuinæ legis prædicandæ gratia; quippe cum nemo quin Deum, eiusque filium Iesum Christum omnium gentium vindicem, ac saluatorem caste, pieque coleret, saluus atque incolumis esse posset. Tum ille diuinam sibi legem exponi iussit. quare bonam voluminis partem recitauimus; & quãdiu de scripto diximus, (diximus autem horam eoque amplius) diligenter ab eo attenteque auditi sumus, atq; ita dimissi. In ea vrbe dies permultos morati in viis, ac triuiis verba fecimus ad populum.

Com-

*Ethnici ad
commemo.*

Complures auide præclara Christi facta au-
 diebant: cumq; ad acerbissimam eius cædem
 ventum erat, lacrymas tenere non poterant.
 veruntamen Christianis sacris initiabantur
 admodum pauci. Ergo cum exiguus nostro-
 rum laborum ibi fructus extaret, Meacum
 urbem totius Iaponiæ (vt dixi) celeberrimã
 perreximus. Menses in itinere posuim⁹ duos.
 multis periculis, quod per regiones bellis
 flagrantes transeundum erat, perfuncti su-
 mus. Mitto summa locorum illorum frigo-
 ra, & vias frequentibus latrociniis infestas.
 Meacum vt venimus, dies aliquot expecta-
 uimus, dum facultas esset adeūdi Regis, pe-
 tendique ab eo vt diuinam legem in suo re-
 gno nobis liceret diuulgare; sed omnes ad eū
 aditus penitus clausos offendimus. Itaq; vt
 Regis imperia à Regulis, & Dynastis conte-
 mni solita accepimus, cōsilio veniē eiusmo-
 di petēdæ abiectō, ciuium animos, ac sensus
 tentare, atq; explorare placuit, vt perspice-
 remus, quã esset ea ciuitas ad Christi cultum
 recipiendum accōmodata; verū quod ciues
 in armis essent, grauiq; vrgerentur bello, tē-
 pus ab Euangelij prædicatione alienissimū
 iudicauī. Meacus vrbs olim fuit amplissima,
 nunc propter assiduas bellorū calamitates,
 magna ex parte euerfa atq; vastata est. Quō-
 dam (vt aiunt) tectorum millibus CLXXX
 constabat. Id sane mihi verisimile videtur.

*rationem
Christi ne-
cis lacry-
mansur.*

*Meaci Urbis
amplitudo.*

Murorum enim circuitus longe maximam fuisse urbem declarat. Nunc etsi magna ex parte euerfa est, tamen domorum millia continet amplius centum.

Cum neque pacatam, neque ad Euangelium paratam sensissemus esse Meacensem ciuitatem, Amangucium remigrauimus: Regique litteras, ac munera amicitiae causa ab India Prorege, & Goano Episcopo missa reddidimus. Rex, & donis, & litteris admodum delectatus, ut nos remuneraretur, magnum nobis auri, argentique pondus obtulit. Quibus nos muneribus remissis, eum rogauimus, ut si quod munus aduenis hominibus gratum dare vellet, diuinæ legis in sua ditione nobis promulgandæ, suis popularibus suscipiendæ faceret potestatem; hoc munere nihil gratius accidere nobis posse. Id ille libentissime largitus est. Ergo edicta celeberrimis urbis locis proposuit, quibus edicebat; placere sibi cœlestem legem in sua ditione promulgari: eandem iis, qui vellent, suscipere licere, & simul vacuum cœnobiū nobis ad habitandum attribuit. Huc ad nos nouæ religionis cognoscendæ causa multi ventitabant, bis concionabamur in die; concionem semper excipiebat cōcertatio de religione bene longa. Proinde perpetuo aut in sermonib' habēdis, aut in quæstionib' pfligandis erām' occupati. Cōcionibus sæpe intererant,

tererant Bonziji multi, alijq; è nobilitate, ac plebe quamplurimi. Semper fere domus erat hominibus referta, sic vt interdum nonnulli loci angustiis excluderentur. Percontationum tanta vis fuit, vt ex responsis planè & legum suarum; latorumq; falsitatem, & Christianæ legis veritatem intelligerēt. Post multorum dierū certamina, & interrogationes, deniq; victi manus dare, & ad Christi fidem se conferre cœperunt. Omnium autem principes extiterunt ij, qui in concertationibus, percontationibusque acerrimos sese præbuerant aduersarios. Horum permulti honesto erant loco nati, qui Christi religione suscepta, vsq; eò nobis amici repente existebant, vt nullis verbis id exequi possim. Ac noui Christiani fidelissime Iaponica mysteria, aut ineptias potius enuntiabant. Nam, vt initio dixi, sectæ Iaponicæ sunt numero nouem, quæ præceptis atq; institutis valde inter se discrepant. Perspectis earum sectarum opinionibus, ad eas refellendas argumenta conquirere cœpimus. Ergo quotidie interrogationibus, & argumentis Bonzios veneficos cæterosq; Christianæ legis hostes acriter vrgebamus, sic prorsus vt illi demum aduersus redarguentium voces hiscere nō auderent. Christiani cum Bonzios viderent conuictos reticere, gaudebant scilicet, & quotidie magis confirmabantur in Christi

fide. Ethnici autem, qui concertationibus aderant, in suis religionibus valde nutabant, cum auitas disciplinas labare cernerent. E-nimvero id Bonziji iniquo ferebant animo, cumque ipsi concionibus interessent, ac cer-nerent multos fieri quotidie Christianos; eos grauius accusabant, quod auita religio-ne deserta sequerentur nouam, quibus illi re-spondebant, se Christianam legem amplecti, quod eam iudicarent magis naturæ consen-taneam esse, quam suam; quodque nos ipso-rum interrogationibus satisfacere viderent, eos nostris non item.

Sunt omnino Iapones natura curiosi, di-scendique auidi vt qui maxime. Itaque cum aliis de suis interrogationibus, nostrisque re-sponsis nunquam agere desistunt. Res nouas de religione præsertim audire vehementer expetunt. Atque ante nostrum quidem ad-uentum perpetuo, vt accepimus, pugnabāt inter se, cum suam quisque sectam optimam esse contenderent. Sed posteaquam nos au-dierunt, certamine de suis disciplinis ac reli-gionibus omisso, de Christiana lege certare cœperunt vniuersi. Ac permirum est in tam ampla ciuitate, omnibus in tectis ac locis di-uinam legem omnium sermone celebrari. Horum ego percontationes persequi si vel-lem, finem scribendi nullum facerem. Ma-gna est Iaponum opinio de Sinarum sapien-tia

tia vel in mysteriis religionis, vel in moribus atque institutis ciuilibus. Itaque illud præcipue vrgebant, si ita res esset, vt nos prædicaremus, quæ fieret, vt id Sinæ ignorarent? Post multas percontationes ac disputationes, Amanguciani ad Christi Ecclesiam aggregari cœpti partim è plebe, partim è nobilitate. Ac mensium duorum spatio facti sunt Christiani facile quingenti, atq; hic numerus auge-
 tur indies: vt magnopere lætandum, Deoq; gratulandum sit, tam multos esse, qui Christi religionem amplectantur, quique Bonziorum fallacias, librorumque suorum, atque sectarum mysteria enuntient. Nam qui Christo se adiunxerunt, alij aliam disciplinã sequebantur. Ex quorum numero eruditissimus quisq; exponebat disciplinæ suæ instituta ac præcepta nobis. Horum studia si mihi defuissent, haudquaquam nefarias Japonum religiones satis cognosse, & oppugnare potuissem. Christiani incredibile est quàm nos diligant. Domũ ad nos ventitant, rogatum ecquã in re ipsorũ opera vti velimus. Sane Japonos omnes natura officiosi videtur: Christiani quidem certe (quæ ipsorum benignitas est) humanissimos se nobis, & officiosissimos præbent. DEVS, & illis pro sua misericordia referat gratiam, & nobis pariter cœlestem impertiat felicitatem,

Anno M.D.L. Amangucio.

Sociis

*Quingenti
Amangucia
ni Christiani
nis sacris
missis*